

*Pontifícia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos*

321

**PONTIFICIA COMMISSIO  
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS**

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula :

I — DE EPISCOPO PROPRIO SACRAE ORDINATIONIS

D. I. An laicus, qui a proprio Episcopo ad primam tonsuram promotus sit in servitium alius determinatae dioecesis de consensu huius Episcopi, huic dioecesi incardinatus sit ad normam canonis 111 § 2.

R. Affirmative.

D. II. An Episcopus dioecesis, in cuius servitium laicus ad primam tonsuram a proprio Episcopo promotus fuerit, illi iure proprio et exclusivo ordines conferre aut litteras dimissorias dare valeat ad normam canonis 955 § 1, licet ipse in eadem dioecesi domicilium nondum acquisiverit.

R. Affirmative.

II — DE RELIGIOSORUM SAECULARIZATIONE

D. Utrum verba *loci Ordinarius*, de quibus in canone 638, designant Ordinarium loci commorationis religiosi, an Ordinarium loci domus principis

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

III — DE HABITU ET INSIGNIBUS CONFRATERNITATUM

D. An vi canonis 714 confraternitas de licentia Ordinarii loci immutare possit proprium habitum vel insignia, quin amittat iura et privilegia praesertim praecedentiae et indulgentiarum.

R. Affirmative, salvis tamen legibus liturgicis.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 24 mensis Iulii, anno 1939.

M. Card. MASSIMI, Praeses.

L. ☩ S.